

gradus humiles consecuti, vita et testimonio sacerdotum possint exurgere. Praecipue illud reor attentius tibi esse providendum, quia prima tentamenta sunt clericorum, mulierum frequentes accessus, iste sexus reprehensibiles exhibet clericos. Quid tibi revera cum foeminis, qui ad altare cum Domino fabularis? Te cuncti in publico, te in agro rustici, aratores ac vinitores quotidie graviter lacerabunt, si contra dispositum fidei, cum foeminis habitare contendis. Et quia (ut arbitror) concupiscis irreprehensibilis inveniri, testimonio bono utere. Numquid in choro Apostolorum foeminae affuerunt? Prohibe tecum virgines morari, etiam quae de genere tuo sunt. Dilige eas, exterius ordina, frequenter visita, junctus obsequio clericorum, ne dum secretaliter ac solus ingrederis, macules testimonium tuum. Illud etiam adjiciendum est, quia si uxorem duceres, lex te non prohiberet habitare cum conserva. Cum uxoris enim consensu ejusmodi ad regimen sacerdotii promoventur, maxime cum Apostoli epistola praeceptum hoc habeat. Unius uxoris virum ad honorem clericatus eligendum. Te vero non ita salutaria praecepta constringunt. Aliter conjugati, aliter virgines admoventur ecclesiastici onus subire ministerii. Foeminarum cum clericis nullo pacto conjuncta praecipitur conversatio. Janua diaboli, via iniquitatis, scorpionis percussio, nocivumque genus est foemina, cum proximat, stimulat, incendit ignem. Flammigero igne percutit foemina conscientiam pariter habitantis, exuritque fundamenta montium. Ego judico, si cum viris foeminae habitent, viscarium non deerit diaboli; ex eis aucupatus est ab initio peccatum. Ferreas mentes libido domat. Si alligaverit quis ignem in sinu suo, vestimenta ejus non comburentur? At si quis ambulaverit super carbones ignis, pedes suos non comburet? Mihi crede, non potest toto corde cum Domino habitare, qui foeminarum accessibus copulatur. Sed dicis, qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter. Bene et argute. Sed opor-